

Un parcours du combattant : traduire le Coran en latin
(Jean de Ségovie, 1453-1456)

Cher.e.s participant.e.s de l'école thématique « Néo-latin », puisque le redoutable honneur me revient d'animer le dernier atelier et que le sujet n'est manifestement pas assez traité dans les médias en ce moment, je vous propose de finir en parlant de l'islam et du Coran.

Une manière de préparer cet atelier serait de lire les passages en question et, si possible, d'en préparer une version sommaire, « en petit latin ».

Je me réjouis de faire bientôt votre rencontre et vous salue cordialement,

Tr. V.

1. Traduire comme un Dieu (ou : comme un pied)

[Jugement de Jean de Ségovie sur la version du Coran par Robert de Ketton (1143).]

Etenim, cum octo sint opera Dei, creatio, annihilatio, generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio et mutatio secundum locum, ex hiis, sex naturali agenti uel artificiali competentibus, omnia hec circa libri translationem exercuisse uidetur qui eam Latino composuit sermone. Cui rei magnam forte prestitit causam qui Arabicum primus interpretabatur, magister Petrus Toletanus, Arabice et Latine peritus lingue, prout abbas prefatus Cluniacensis inquit in epistola ad sanctum Bernardum, Clareuallis abbatem, utque etiam ex illa apparet, quatuor fuerunt translatores : dictus Petrus Toletanus aliusque Petrus, notarius abbatis ipsius, tanquam Latine lingue peritior ; tandem, astrologi duo, quoniam utriusque lingue periti, magno ab ipso abbate pretio conducti, quorum Robertus translationis fuit precipuus auctor, prohemio uero eius demonstrante splendidum fuisse rhetorem atque poetam. Visa Arabici textus continentia suaque translatione, liquido apparet, descripta Arabice in Alchurano in suum conuertisse eloquentie modum. Haut igitur mirum si dicta sex exercuit officia in translatione ipsa; ultimum quippe, mutationis de loco ad locum, uelud ordinarium est quasi per totum, quod in principio psalmi continetur aut paragraphorum eiusdem in medio posito aut econtra, et aliquando ad quatuor uel quinque lineas. Alteratione quoque usus est in quam permultis uocabulis, ita ut quod frequentissime Alchuranus uersum aut uersus appellet, ipse miracula nominet ; et ubi Apostolos, ipse uiros uestibus albis indutos. Diminutione rursus, quod in Arabico positue dicitur, superlatiue promens et econtra. Generatione preterea et corruptione usus est, causam designans in Alchurano non expressam, aut inferendo correlarium uel conclusionem ex dictis, multa quoque ibidem expressa silentio pretereundo, omnibus pendentibus hiis ex transmutato loquendi modo, adeo quod in aliquibus habet se uelud magister in scolis discipulos docens uel exortans populum in ambone. At quod creauerit utpote aliquid magne continentie nouiter fingendo, uel

annihilauerit, supprimendo, non fortasse reperitur, quin etsi alio alioque modo tota fere substantia Alchurani in ipsa reperitur translatione.

2. Après l'heure, ce n'est plus l'heure (ou : la dure loi du marché)

[Jean de Ségovie, retraité à Aiton, fait appel au *faqîh* castillan Yçe de Gebir. Il est là pour trois mois.]

Spatio igitur designato trium mensium, uno, Alchuranum scripsit, alio axuclauit, et alio, interpretatus est in uulgari Hispanico, translationem etiam ipsam propria describens manu, permaxime quidem, uti monstrauit, labore, singulo namque dierum cathedra sedebat per horas, ad minus XII, die excepto festiuitatis Sarracenorum quo natiuitas colitur sui Prophete. Surgebat etiam aliquando somnum interrumpens et ne, quod lecto acceperat, obliuioni traderet, scribebat. Utque translationem facere posset, secum adduxit suorum libros doctorum Alchuranum exponentes. In scriptura autem per eum facta, differentia hec fuit, ut ydeoma Arabicum ad unam columpnam in papiro maioris forme, XXXIII sisternis, totque in alia minoris translationem scripsit. Ipso autem magistro, qui uxorem nouiter nuptam dimiserat, ad recessum hinc festinante et secum translationem per eum scriptam reportare uolente, quoniam ille qui iuxta Arabicum in alia columpna translationem in uulgari Hispanico scribebat, litera grossa et formata, non ualebat eque cito complere opus, ut copia maneret, alium scriptorem fuit habere necesse. [...] Completa autem, ut predictum est, translatione, magnopere insteti quatenus per alios menses duos magister ille mecum permaneret ut in notitiam proficerem Arabici ydeomatis, quod uelud sillabizando legere incipiebam, agnitis literis, nec tamen signis aut caracteribus omnibus accentum tantumue significantibus uel in alium sensum trahentibus dictiones, utque etiam in materia legis mutuo conferremus. Obtinere uero minime potui id ipsumque, dum opus ab eo promissum peragebat, pluries temptans, persensi sibi gratum non fore, uel quia ad consummationem operis festinanti uel aliis ex causis, oportuitque in isto aliisque ei morem gerere.

3. De l'arabe latin (ou : le latin, c'est du chinois)

[Jean de Ségovie fait appel à un franciscain arabophone pour l'aider à comprendre certains passages du Coran ; il s'en déclare incapable.]

Rationem autem reddidit non scientie sue, propterea quod, sicut inter Christianos aliud ydeoma uulgare est aliud Latinum, sic etiam inter Sarracenos, scripturaque per me ad eum destinata illa esset Arabice lingue sed Latine, cuius paucissimi, etiam inter Sarracenos, conscii forent.

4. Allez comprendre (ou : sors d'ici, André Chouraqui !)

[Les choix de traducteur de Jean de Ségovie.]

[...] utque modum ipsum Arabice locutionis ex integro seruarem, minime dubitavi uerberare Priscianum, admodum incongrua persepe usus Latinitate et in casuum regimine et in uerborum generibus, quod apud Latinos uerbum deponens <aut>¹ commune est uel neutrum aut neutropassiuum², prout Arabicum exprimebat ydeoma, in uerbum conuertens actiuum ; et pro datiuo ponens accusatiuum, faciens item in nominibus aut participiis pluralis numeri ; quantum ad casus, in participiis tres, in nominibus duos, datiuum et ablatiuum, terminationes distinctas masculini et femeni generis nouiter imponens, illas ydeomate Arabico expressante.

Utitur preterea, ubi de suitate mentionem facit, plus quam sepissime, adiectiuo pluralis, singularis numeri substantiuo sistente, pro quo a principio, ut incongruitatem uitarem, utebar pronomine alio, dicendo ipsorum uel eorum quandoque etiam suitate in plurali expressa. At quando fixe intuitus sum differentiam Arabice locutionis, crebro magis pronomine suus, sua, suum quam aliis utentis, duobus ut pluralis designaretur numerus adieci, dicendo susses, et sic in aliis casibus, ita ut ubi duplicatur indicat plurale esse in ydeomate Arabico.

¹ L'ajout de *aut* est mien : les grammairiens latins ne parlent apparemment pas de verbes « déponents communs ».

² Exemple de verbe commun : *crimino* (« j'accuse », verbe déponent, mais qui peut aussi vouloir dire « je suis accusé », s'il s'agit du passif de *crimino*) ; de verbe neutre : *sto, vivo, placeo*, de forme active, mais intransitifs ou transitifs indirects, et qui ne peuvent recevoir d'autre forme passive que le passif impersonnel à la troisième personne ; de verbe neutro-passif : *vapulo* (« je suis battu »), dont la forme est active, mais le sens passif.